

Miscellanea

Notulae quaedam de usu Sacramenti Paenitentiae.

Exponere in praesenti, ne quidem modo summario, nolumus quomodo confessio privata, Ecclesiae a Domino data, in usum deducta fuerit, ad hoc ut, accedente contritione, venia pro peccatis admissis vi potestatis clavium concedatur. Neque plura addere debemus ut probemus confessionem sacramentalem medium eximium constituere ad hoc ut maior animi puritas obtineatur, atque cor humanum magis Deo et divinis applicetur. Talia fuse exponuntur in tractatibus theologicis et in libris qui, nostris temporibus, « spirituales » vocari solent.

Annotasse praeterea sufficiat dari « historiam » administrationis sacramenti Paenitentiae in Ecclesia. Necessitas practica susceptionis huius sacramenti, frequentia necessaria aut utilis, institutio confessoriorum, indicatio personarum quibus tempore opportuno peccata possent aut deberent confessione aperiri, aptitudo confessionis ad hoc ut animus magis purificetur ex influxu gratiae divinae, et exinde magis Deo adhaerere possit: hae et similes considerationes ac ordinationes iuridicae et morales non semper aut constanter ab omnibus eadem perspicacia theologica perspectae fuerunt.

Patet autem nos non parum haurire posse ex praxi admissa confessionis privatae, ubi agitur de cognoscendis et diiudicandis mediis spiritualibus quibus antea perfectionem spiritualem consequi nitebantur. Praxis confessionis sacramentalis nostris diebus ab omnibus perfectionis sectatoribus quam maxime extollitur. Quid de hac re, temporibus anteactis, censebant praedecessores nostri? Et quomodo, in praxi et in textibus legislativis, confessio sacramentalis erat ordinata?

Legislationem hodiernam, prouti tum in Iure Canonico tum in Statutis vel Constitutionibus Ordinum proponitur, describere hoc loco non debemus.

Omnibus sane compertum est, evolutionem quamdam sub hoc respectu evenisse in vita ecclesiastica. Quae evolutio potissimum accidisse animadvertitur ubi agitur de libertate relate ad electionem confessarii. Libertas illa, a Codice Iuris imposita et vindicata, non

semper extitit. Longa fuit via, qua distinctio inter forum externum et forum internum, ab omnibus clare agnita fuerit, et consequenter obligatio manifestationis conscientiae et confessionis sacramentalis regulariter suscipienda a Superioribus non amplius ut obligatoria a legislatore ecclesiastico proposita fuerit. Quae obligatio canonica paulatim solummodo immutata fuit. Privilegia personis privatis a Summis Pontificibus concessa, vi quorum semel vel bis in anno *libere* confessarium eligere concedebatur, sub hoc respectu non modicum influxum exercuerunt. Ex alia parte religiosi non pauci, tum considerationibus theoreticis, tum practicis agendi rationibus, maiorem libertatem in electione confessarii defendere et obtinere valuerunt. Patet hic adesse campum latum inquisitionum canonico-historicarum, et moralium simul et spiritualium, uti nostris diebus dicere solemus, quae vivide illustrare possunt rationem qua status perfectionis, et in praxi et theoretice, saeculis praecedentibus in Ecclesia et in variis Ordinibus considerabatur. Ut horum omnium conspectus plus minusve perfectus nobis praesto sint, considerari debent textus legislativi, decreta Conciliorum et Capitulorum variorum Ordinum, Chronicorum, descriptionum biographicarum, et similium; non omit-tendo tractatus magis theoreticos de ratione qua vita recte religiosa institui debeat. Ut unum specimen huius ultimae indicationis proponere nobis liceat, examinari utiliter posset cur in fontibus quos Fr. PETIT, *La Spiritualité des Prémontrés aux XII^e et XIII^e siècles*, Paris, 1947, examini accurato subiecit, practice nihil de confessione sacramentali inveniri videatur.

De hac quaestione volumen permultis indicationibus onustum, simul ac optime ordinatum, recenter (1954) publicavit Ph. HOFMEISTER, O. S. B., prof. in Universitate Monacensi: *Das Beichtrecht der männlichen und weiblichen Ordensleute* (Münchener Theologische Studien. III. Kanonistische Abteilung. 6. Band). pp. VII + 277. Apud Karl Zink-Verlag, München.

Intentum nostrum non est, in hac nostra tractatiuncula, compendiose referre omnia substantialia quae a doctissimo Professore in hoc volumine exponuntur; neque ostendere quomodo ius hodiernum de hac materia scite exponat ac commentetur. Utile vero nobis visum est, attentos reddere lectores nostri periodici ad varia quae hic referuntur et indicantur relate ad ea quae sub respectu indicato de Ordine nostro ab Auctore proponuntur. Agnoscendum est enim Auctorem in componendo suo conspectu historico inquisivisse magna

cum cura omnia quae relate ad fontes iuridicos historiae nostri Ordinis ipsi pervia erant. Quod valet maxime de editione variorum Statutorum quae decurrente historia, in Ordine nostro publicata et imposita fuerunt. Plus quem semel annotat Acta et definitiones Capitulum Generalium Ordinis nostri, proli dolor ! nondum edita esse.

In « Regula » Chrodegangi Metensis (saec. octavo), ordinatur canonicos peccata sua confiteri debere « priori » ; clericos vero semel vel bis in anno peccata sua confiteri debere episcopo. Notum est Concilium Lateranense quartum praescripsisse confessionem annuam « proprio sacerdoti », nisi ab isto licentia apud alium confitendi postulata et obtenta sit. Postea Ordines mendicantes fundati fuerunt ; membris horum Ordinum a Sancta Sede licentia confessiones fidelium audiendi a Summis Pontificibus concessa est.

Coarctando nos ad usus qui impositi et admissi erant in monasteriis, in « Consuetudinibus » monachorum quae notae sunt, principium generale est hoc : Abbas vel Prior est confessarius natus suorum religiosorum. Quod, iudicio Prof. Hofmeister, exinde derivatur, quod monachi generatim non erant sacerdotes, ita ut Abbas haberetur qua ille qui curam animarum religiosorum undequaque procurare deberet. Exceptiones huic regulae generali occurrunt ; alii confessarii ab Abbate constitui possunt ac debent. Legitur in Consuetudinibus S. Victoris : « Neque enim ideo ab abbate haec cura ei (confessario) iniuncta est, ut ipsi abbati secreta fratrum celentur, sed cum abbas alibi intentus est, ipse ad audiendas confessiones paratior invenitur ». Consuetudines de Hirschau ex sua parte haec habent : « Tales enim vicarios ad huiusmodi negotium debet abbas sibi eligere, qui fratres pusillanimes suaeque commissa periculose celantes fideliter commonere faciant, ne quid abbatem ipsum celare praesumant, quem utique iustissimum est, et eorum male acta simulque bene acta cognoscere ».

Confessio frequens in usu erat. Regula Chrodegangi ampliata (saec. 10), quae confessionem pro laicis ter in anno proponit, addit : « Monachi in unoquoque Sabbato confessionem faciant, cum bona voluntate Episcopo aut priori suo ». Et pro monachis de Winchester (versus a. 1000) edicitur : « Dominicis diebus protendatur prima et sedeat abbas una cum fratribus et exeant singuli ad confessionem humiliter illi confitentes, quicquid tota ebdomada impugnante adversario commiserint ».

Ineunte saeculo duodecimo (circiter), ortum sumpserunt maiores Congregationes monasteriorum, quae ducebantur decisionibus Capitulorum generalium. In istis conventibus generalibus proinde constituebatur modus iuridicus iuxta quem confessio in Congregationibus illis ordinari deberet.

Cistercienses, Capitula generalia vi Chartae Charitatis instituentes, in suis Consuetudinibus, exortis in prima medietate saeculi duodecimi, sermonem habent de confessionibus sacramentalibus instituendis. Qua confessarii monachorum indicantur Abbas, Prior et Supprior. De Priore notatur: « si Abbati visum fuerit », et « nec confessionem de criminalibus nisi in extremis positi recipiat ». Pro Suppriori « si ei iussum fuerit, tempore lectionis confessiones recipere monachorum, sc. in capitulo, novitiorum vero et laicorum fratrum et infirmorum in infirmitorio, ubi ei constitutum fuerit ». Confessarius novitiorum non est Magister novitiorum. In actu visitationum, Pater Abbas confessiones excipere valet; iste tamen, in rebus maioris momenti, confitendos remittat ad proprium Abbatem.

Cum ordinationes Capitulorum generalium Ordinis nostri nondum notae sint universim, Statuta nostra varia, quae decursu saeculorum edita fuerunt, respici debent ut pateat quodnam ius confessionis in Ordine nostro impositum fuerit. Patet autem hac in re, Statuta Ordinis nostri plene concordare cum iure Cisterciensium. Confessarii indicantur Abbas, Prior (qui in « criminalibus » solummodo in periculo mortis absolvere potest). In Statutis anni 1234 additur « absente Abbate ». Abbates poterant libere sibi eligere confessarium; rogante Abbate Praemonstratensi anno 1236, Summus Pontifex hoc ius ita limitavit ut deinceps electio illa approbari deberet vel a Domino Praemonstratensi, vel saltem a Patre-Abbate, aut a Visitatore. Haec limitatio, iudicio Domini Praemonstratensis, necessaria videbatur, quia confessarii sibi electi ab Abbatibus « propter simplicitatem et insufficientiam propriam nesciunt vel non audent eis exhibere salubre consilium necnon increpare ipsos seu retrahere a noxiis, si delinquant ». Supprior indicatur qua confessarius pro clericis, novitiis, et conversis.

Paulatim vero maior libertas conceditur. In Statutis anni 1234-1236, iam occurrit capitulum speciale de confessionibus privatis et sermo fit de pluribus confessariis pro singulis conventibus. Iuxta Statuta tamen ca. 1290, Abbas sibi reservare potest absolutionem omnium peccatorum mortalium et excommunicationum. Et in Statutis anni 1505, edicatur in genere: « De gravibus vero censuris

intromittere confessores se non debent nisi desuper a praelatis habeant facultatem ».

Abbas facultatem confessiones audiendi concedit. De aliter agentibus statuitur: « tam recipiens quam confitens tribus diebus in pane et aqua ieiunet ». Confessio tamen institui debebat apud Abbatem saltem ter in anno, circa festum Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecosten; in Statutis ca. 1240 additur tamen clausula: « si Abbates commode potuerint hiis vacare ».

Praemonstratenses, extra canoniam commorantes, saltem semel in anno apud Abbatem confessionem instituere debebant; quod statutum diu vixit, uti infra dicemus.

Confessio apud confessarios non ad Ordinem Praemonstratensem pertinentes, severe prohibebatur.

Quos spectat ad frequentiam confessionis, edicitur in Statutis anni ca. 1290, diaconos, subdiaconos, aliosque qui « minoris Ordinis » sunt « omni feria sexta » ad confessarium accedere debere; laici conversi « omni die Dominica »; sacerdotes vero « ad minus semel in septimana ».

Apud fratres Ordinum Mendicantium, maior libertas confessariorum concedebatur. Iam mediante saeculo decimo tertio, statuitur pro fratribus Ordinis Praedicatorum, Priores ubique curare debere ut praesto sint « confessores certi, maturi, discreti », « fratres ad hoc idonei, et moribus et scientia approbati et de consilio discretorum ».

Pro novitiis, confessarius normalis satis cito indicatur eorum Magister. Qui usus versus a. 1600 videtur factus esse communis in Ecclesia.

De usibus vigentibus temporibus modernis, et praesertim inde a S. Pontifice S. Pio X in praesenti brevi conspectu nihil, consulto, dicimus. Eo quod haec ex professo exponantur in tractatibus theologicis et canonicis. Fuse et scite haec omnia describuntur et exponuntur a Prof. Hofmeister in libro supra indicato, occasione cuius hanc praesentem notulam componimus.

Ad illa vero quae a Hofmeister l. c. de usibus sub dicto respectu in Ordine nostro impositis et vigentibus, nonnulla addere placet; quae profecto materiam hanc ne a longe quidem modo plus minusve adaequato exponunt.

Ex relictis Visitationum saeculi decimi sexti et septimi, apparet

Visitatores non parum curae adhibuisse, ad hoc ut Statutorum praescripta de confessione in praxi observarentur. Conferas, si lubet, de hac re: E. VALVEKENS, *Les Visites Canoniques des Abbayes prémontrées: An. Praem.*, XXIV, 1948, p. 176 s. Potissimum in visitationibus, secundum relicta nonnulla visitationum, inquirebatur, utrum necne religiosi semel in hebdomada confiterentur, a confessariis disciplinam recepturi, et an omnes et singuli semel in anno apud Praelatum confiterentur.

Ita legimus in relicto Visitationis Domini Praemonstratensis de l'Escluse in abbazia Ninivensi (mense Iunii 1502): « Praecipimus postremo eisdem religiosis ut *singulis hebdomadis confiteantur* et a suis confessoribus disciplinam recipiant corporalem ». Idem in Visitatione ab eodem peracta in abbazia Parcensi (mense Iulii 1502): « Singulis ebdomadis confiteantur, a suis confessoribus corporalem disciplinam tociens accepturi ». Anno 1510, idem Visitationem instituit in abbazia Averbodiensi, et, inter alia, ita statuit: « Ipsi religiosi *sacerdotes* semel in ebdomada cuidam religioso confessori confiteantur, disciplinam a suis confessariis ordinatis diebus benigniter recepturi ». Idem eodem mense edicitur ab eodem Visitatore pro abbazia Tongerloensi. Anno 1529, in abbazia Averbodiensi, visitatio instituitur a Domino Praemonstratensi, Iacobo de Bachimont, qui, inter alia, haec ordinat: « Quia iure divino praelati debent cognoscere vultum pecoris sui, in primis precipimus ut Abbas dicti monasterii audiat ad minus semel in anno confessiones suorum religiosorum, in hoc praesenti statuto beneficiatis comprehensis ». Item vindicatur a Domino Praemonstratensi Despruets, in visitatione abbatae Parcensis, anno 1575: « Item claustrales et pastores semel in anno proprio Abbati suo peccata confiteantur ».

Abbatibus ipsos liberos non fuisse, saeculo decimo sexto, in deligendo sibi confessarium, sequitur ex epistola abbatis Parcensis Van Vlierden, anno 1584, abbati generali Despruets, directa (cfr.: *An. Praem.*, XXXII, 1956, p. 115): « Cum nobis frequenter proficiscendum sit ad ea, quae in negotiis monasterii apud Aulam requiruntur, libertatem optaremus, si possibile sit, omnino primo obvianti confessorio confiteri; et subinde quumque in ipso monasterio non ita opportunum sit semper domesticis fratribus et subditis confiteri, cuperemus omnino ut Vestra Reverenda Paternitas eam concedat facultatem eligendi quemcumque placebit confessarium, quotiescumque foris proficiscendum erit vel aliter pro me videbitur opportunum ».

In Capitulo anni 1502, ita statuitur (ms. Laon, 538, p. 54): « In

commissione Abbatis Osterhovensis Visitoris Bavariae, Hungariae et Bohemiae inseratur clausula specialis, scilicet quod cogat Moniales Wennenses ad recipiendum Confessorem nostri Ordinis, probum et idoneum; et hoc sub excommunicationis paenis, et cum auxilio brachii saecularis, si opus sit, etiam appellatione remota ».

In Capitulo generali anni 1513, exceptio quaedam conceditur, quod ad iurisdictionem in sodales Ordinis, in favorem Procuratoris generalis Ordinis in Curia Romana. Edicatur enim: « In eius Procuratorio inseratur clausula quod possit absolvere Religiosum Ordinis nostri ad Urbem confugientem ab apostasia et censuris Ordinis in foro paenitentiali; ipsos tamen ad Praelatos proprios infra certum terminum puniendo remittendo » (Laon 538, p. 137 s.).

In Statutis praefixis Collegio Praemonstratensi Lovaniensi haec praescribuntur anno 1572: « Clerici non sacerdotes tenebuntur hebdomatim ad minus semel confiteri suo praesidenti, vel deputato a praesidente, et signatis diebus, secundum laudabilem consuetudinem, ad Sacramenti Corporis Christi susceptionem se praeparent in loco aut ecclesiis, iis per praesidentem designatis (*An. Praem.*, XI, 1935, p. 54).

Paulatim tamen maior libertas, etiam in Ordine nostro, religiosis conceditur in deligendo sibi confessarium. Novitii vero ordinario confiteantur apud suum magistrum. Ita legimus in Pl. LEFÈVRE, *Une Enquête sur l'observance disciplinaire et liturgique à l'abbaye d'Averbode au début du XVII^e siècle: An. Praem.*, XIV, 1938, p. 45: « Supprior est eorum ordinarius confessarius, non obligantur tamen ei confiteri ».

Quae latior praxis a capitulis provincialibus proponitur ac probatur. Capitulum prov. Brabantiae anni 1620 ita statuit: « Quae de confessionibus privatis cap. 6^o Statutorum sunt constituta, exactissime executioni mandentur. Ponantur autem confessarii docti et pii, qui et ligare sciant et solvere, et filiis confessionis sancta piaque conversatione iter vitae ostendant. Extra autem eos, qui in conventu regimen habent, adhuc unus aut alter pro multitudine personarum confessarius statuatur, ut suam fratres habeant libertatem, nec ad solos Superiores conventuales cum aliquo salutis detrimento stringantur. Verumtamen novitii particularem suum habeant confessarium, prout Pontifex Clemens suis constitutionibus ordinat ». Eadem praescriptio in Capitulo eiusdem Circariae repetitur anno 1620 (Cfr. J. STEYNEN, *An. Praem.*, XVII, 1941, p. 6 s.; 39 s.).

In Capitulis Circariae Brabantiae eiusdem aetatis, varia de eadem materia statuta fuerunt. Anno 1620 ita statuitur: « Prior autem absente Abbate, nulli concedere potest confessiones audiendi facultatem, nisi a suo Abbate (a quo omnem suam habet iurisdictionem) sit ei facta potestas » (l. c., p. 18). Idem in Capitulo anni 1624: « ... iurisdictionem specialiter habeat sibi datam potestatem: scire namque quisque Prior debet omnem, quam habet curam animarum, se eam habere nude ex voluntate et participatione ipsius Abbatis, qui pro voluntate eam augere et minuere potest » (ib., p. 52). In Conventu Abbatum anno 1633 haec praescribuntur: « Omnes religiosi tam beneficiati quam conventuales nullis nisi a Praelatis suis potestatem habentibus et approbatis, confiteri praesumant, nec aliquis nisi a Praelato potestatem habens, confessiones audire queat. Qui foris sunt similiter non confiteantur nisi iis, qui a Statutis dicto capite num. 18 designantur » (l. c., p. 63).

In Capitulis Circariae Westphaliae saeculi decimi septimi de eadem materia iterum iterumque sermo fit. Ita, anno 1631, statuitur: « Confessarii in monasteriis virorum debent esse de Ordine, quibus omnes confitebuntur, nisi propter alicuius vel aliquorum instantiam a praelato approbandam alius admittendus censeretur » (ed. PAAS: *An. Praem.*, VII, 1932, p. 22). Anno 1665, in eadem Circaria haec statuuntur: « Singuli Praelati suos pastores semel in anno visitabunt. Assignabunt quique eis, sicut et prioribus eorumque sacellanis et aliis quibuscumque extra residentibus, certos confessarios et, si fieri potest, ex Ordine » (ib., VI, 1930, p. 18).

Indicationes similes nonnullae inveniri possunt in Actis Capitulorum iam publicatorum in *Analectis nostris*. Cum autem nequaquam intendamus materiam de confessione sacramentali in Ordini nostro exhaurire, transscribimus ea quae de hac materia referuntur in ms. quodam conservato in Archivo Abbatiae Tongerloensis. Abbas J. VAN DER ACHTER anno 1726 siquidem, ad usum suum practicum, composuit Symposium quoddam in quo collegit varia statuta in Capitulis, ut hisce ordinationibus duceretur in gubernio suo. In symposio isto varias materias collegit ordine systematico. Ex iis quae ita collegit, deducere possumus quidnam Abbas saeculi decimi octavi, uti obligatorium considerabat in observationibus regularibus domuum. Symposium istud ita inscribitur: *Collectio Capitulorum generalium et provincialium Ordinis praemonstratensis, facta per fr. Iosephum Van der Achter, Abbatem Tongerloensem, et Vicarium generalem per*

Circarias Brabantiae et Frisiae a° 1726. Paginis 131-135, huius collectionis agitur de « Confessario et Confessione ».

« Pastoribus distantibus a monasterio decem milliaribus et amplius, possunt deputari confessarii, ut in Pastoratibus circa Pascha confessionis et communionis annuae praecepto satisfaciant, iuxta Statuta Dist. 1, cap. 6, n. 16 » (Cap. gen. 1670 ; sess. 7).

« Quam Statuta iterantibus largiuntur facultatem, cuilibet confessario approbato confitendi, eam ita coangustandam iudicarunt Circariae Bohemiae Patres, ut itinerantes non nisi sibi invicem confiteri queant, cum tres vel quatuor simul sunt in itinere constituti » (Cap. prov. Bohemiae 1719).

« Parochi ad monasterium venientes non valeant confiteri, nisi Confessario per Praelatum approbato » (Cap. prov. Bohem. 1681).

« Notandum quod Paulus V concesserit, quod Religiosi tempore Recollectionis annuae possint satisfacere praecepto de confessione annua » (Cap. prov. Brab., 1718, sess. 1).

« Conventuales sine praesentatione sui Praelati nec petere nec acceptare poterunt approbationem ab Episcopis ; si autem cum praesentatione sui Praelati illam acceperint, tenebuntur litteras suas exhibere Praelato ; et Priori, qui illarum Registrum habebit. Qui autem cum approbatione foras mittuntur, dum iterum renovanda erit, illa obtenta, debebunt eam data opportunitate insinuare suo Praelato, vel per se vel scripto, alias habendi tamquam quorum approbationis tempus finitum sit » (Cap. prov. Brab. 1718, sess. 3).

« Pastores eiusdem monasterii, si occurrat eos simul in monasterio existere, possunt sibi invicem confiteri, sicut foris existentes » (Cap. prov. Brab. 1718, sess. 3).

« Extranei venientes ad monasterium possunt valide et licite confiteri Confessario approbato ab Episcopo, si fuerit expositus ad audiendas confessiones ; secus si expositus non fuerit, id est, si a Praelato habeat licentiam utendi sua approbatione in monasterio » (Cap. prov. Brab. 1718, sess. 3).

« Qui exeunt mane, vesperi reversuri, habentur pro foris existentibus in tantum ut possint valide confiteri sicuti alii foris existentes, nisi id fieret in fraudem, hoc est ad declinandam iurisdictionem sui Praelati » (Cap. prov. Brab., 1718, sess. 3).

« Prior, absente Abbate, uti numquam propria autoritate potuit, sic nec de caetero possit ulli concedere confessiones audiendi facultatem, nisi a suo Praelato, a quo omnes suam obtinet iurisdictionem, specialiter sibi habeat datam potestatem ; scire namque

quisque Prior debet, omnem quam habet curam animarum, se eam habere nude ex voluntate, et participatione sui Praelati, qui pro re nata eam vel augere vel minuere possit » (Cap. prov. Brab. 1718, sess. 7).

« Statuant Praelati, quae Pastoribus servitia debeant Vicepastores, in audiendis confessionibus, in administrandis sacramentis, etc. » (Cap. prov. Brab. 1718, sess. 8).

« Praelati ubique habent potestatem per se vel Religiosum suum, approbatum tamen ab Episcopo, omnes sibi servientes, et intra limites monasterii habitantes absolvendi a peccatis, communicandi, etiam ut per illam Communionem in Paschate Ecclesiae praecepto satisfaciant ; inungendi sacro oleo, et sepeliendi, iuxta privilegia Alexandri III et Alexandri IV, et secundum usum dictorum privilegiorum in plurimis monasteriis hactenus observatum » (Cap. prov. Brab. 1718, sess. 8).

« Confessarii in monasteriis virorum sint de Ordine, quibus omnes confitebuntur, nisi propter alicuius vel aliquorum instantiam a Praelato approbandam alius censeretur admittendus ; quae tamen licentia rarius concedenda, maxime si in monasterio de Ordine Confessariis sufficienter sit provisum » (Cap. prov. Westphaliae, 1721).

« Praepositi Monialium, vel etiam Patres Abbates Confessarios ordinarios saeculares Monialibus non assignent, nisi iudicio Vicarii non possint ex Ordine assumi » (Cap. gen. 1657, sess. 8).

« Praepositi qui sunt formales et vere Praelati, non adstringendi ad Confessarios ex monasterio Patris-Abbatis assumendos ; sed possunt ex quolibet Ordinis coenobio assumere » (Cap. Gen. 1657, sess. 8).

« Cum in Statutis Dist. 1, cap. 6, n. 16, mandetur, quatenus tam intranei, quam extranei Pastores et Beneficiati Praelatis suis, aut ab ipsis specialiter deputatis semel in anno confiteantur, mandat Capitulum, ut in proxima recollectione facienda in monasterio confessionis annuae praecepto satisfaciant » (Cap. prov. Brab. 1643, cap. 3).

Remittit tandem abbas Van Der Achter, in dicta collectione decisionum capitularium, ad extractum relatum pag. 368 suae collectionis ; in quo haec legimus : « Religiosi Ordinis nostri gaudent privilegiis Ordinum mendicantium, et aliarum Congregationum privilegiatarum ; non tamen sine licentia Superiorum illis privilegiis utantur, nisi iuxta tenorem Bullarum Apostolicarum » (Cap. Gen. 1660, sess. 19).

Annotationes istae sane permultum augeri possent. Consulendae essent singulae editiones Statutorum, per decursum historiae. Perlegendi essent libri a sodalibus Ordinis olim descripti in quibus media sanctificationis describuntur. Nullo modo proinde ignotum est, annotationes a nobis in his paginis propositae valde summarias esse et materiam neque a longe quidem exhaurire. Optamus vero annotationes has sufficientes esse ut constet in hac materia facile inveniri posse campum inquisitionum, quae tum vitam iuridicam Ordinis, tum vitam moralem ac stricte supernaturalem sodalium Ordinis summo opere illustrare natae sunt.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

Inquisitiones in " Vitam " B. Hermannii Ioseph.

B. Hermannus Ioseph, cuius beatificatio et canonizatio ex parte Ecclesiae proxima exoptatur a permultis, floruit medio saeculo duodecimo et saeculo insequenti. Membrum erat gremii monasterii Steinfeldensis. « Vita » valde antiqua huius Beati existit. Sicuti autem pro omnibus « vitis » antiquis Sanctorum, et heic, quaestio institui potest ac debet de valore stricte historico eorum quae in « Vita » illa referuntur. Anno autem 1942, sac. K. Koch thema modo indicatum assumpserat, sub forma dissertationis conscriptae ad acquirendum Doctoratum in Universitate Bonnensi, sub titulo: « *Die Vita des seligen Hermann Ioseph von Steinfeld, ihre literarische Abhängigkeit und die geistiger Standort* ». Dissertatio illa manuscripta remansit; et antequam auctor Koch dissertationem illam, hinc inde nonnihil limatam, edere potuit, e vivis ereptus fuit. Koch conatus erat « Vitam » illam legere et diiudicare in et ex ambiente historico et litterario in quo orta et conscripta fuerat. Et hac ratione plura proponere potuit — necessariis et utilibus probationibus ac illustrationibus additis — quae multum luminis afferunt pro recta perspectione elementorum quibus tunc praecise sanctitatis ratio et media illam consequendi concipiebantur in monasterio Steinfeldensi. Fructus inquisitionum K. Koch feliciter non fuerunt vanae. Nam recenter Prof. Dr. E. HEGEL, professor in Universitate Monasteriensi (Münster), de eodem themate scribere incepit, proxime inhaerens iis quae a Koch perspecta erant. Prof. Hegel publici iuris fecit articulum: *Die geistige und religiöse Welt einer Eifel-Abtei im Hochmittelalter*.